



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10259

De S. Eduardo rege & martyre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

DE S. EDVARDO REGE ET MARTYRE.

309

illius, quæ extant: tum Orientalis Ecclesiæ facti seu calendaria, in quibus precès anni-
uerfaria & commemorationes Sanctorum descriptæ sunt, abundè restantur. Nam vt
aliorum Patrum, qui in Sanctorum cœtu clariore habentur, ita huius quoquè Cyrilli Festus S. Cy-
rilli apud
Græcos. Hierosolymitani die 18. Martij in ecclesijs Græcis sancta celebratur memoria: ac scri-
ptis quoquè illius apud Græcos nomen sancti Patris præfixum vbiquè reperitur.

S. EDVARDI REGIS VITA ET MARTYRIVM,
VT IN ANTIQVIS MS. EXEMPLARIBVS HABENTVR:

Sed paulò Latinius hic reddita sunt per F. Laurentium Surium.



Elytus Rex Eduardus multa fuit generis claritudine, ab 18. Martij.
antiquis Britannia regibus originem ducens: & quod lon-
gè illustrius est, in teneris annis à Dunstano sanctissimo
pontifice Cantuariensi Christi sacramento regeneratus,
cœpit virtute & probitate pollere. Patrè habuit Edgarum Parentes S.
Eduardi.
regem, rebus & bello & pace gestis valdè insignè: matrem
verò Elstedam, præpotētis cuiusdam Orientalium Anglo-
rum Ducis filiam. Et quidem Edgarus postquàm non pau-
ca sibi eius terræ loca subdiderat, & iam monarchiam ob-
tinere videretur, solus imperio potitus, vbi prius multi re-
gnauerant: hortantibus eum SS. Dunstano Cantuariensi

& Athelwoldo Wintoniensi Episcopis, permulta monasteria illarum regionum, quas Edgarus rex
cōstruit cœ-
nobis.
subiugarat, ab alijs vastata, suis impendijs iussit instaurari, nonnulla etiam noua à funda-
mentis extrui: ad quorum alia misit Abbates cum aliquot monachis, disciplinæ mo-
nasticæ conuenienter victurus: ad alia verò sanctimonialia, Christo seruituras. Omni-
bus autem prædia & villas attribuit, vnde assatim eis suppetere, quæ ad victum vesti-
tumque pertinerent. Et ipse quidem pius rex cōstituerat monachorum cœnobis sub-
indè inuisere & fratres consolari: Porro reginam voluit idem præstare erga foeminas
Deo sacratas. Habebat autem ex altera coniuge etiam filium Ethelredum. Interim
Eduardus maior natu filius, optimæ indolis puer, lasciuia omnem & illecebrosas vite
huius voluptates respuēs, ita se erga Deum & homines comparare studuit, vt Deo qui-
dem ante omnia mentis & corporis integritate sectanda placeret: hominibus verò
gratum & amabilem se exhiberet. Erat verò etiam multa industria & prudētia conspi-
cuis. Ijs permotus pater eius Edgarus, illum post se voluit regni scepra tenere: ac de-
indè compositis regni rebus, pijsissimus rex vita functus est anno à Christo nato 977. re-
gni verò sui 16. mensis Iulij die octauo. Edgari
mors.

Eo defuncto, Eduardus ex patris volūtate à S. Dunstano & quibusdam regni proce-
ribus rex creatur. Ipso autem consecrationis eius tempore quidam regni optimates
illi se opposuerunt. Id vt vidit S. Dunstanus, nihil à sententiâ sua dimotus, vexillū S. Cru-
cis, quod pro more ante illum ferebatur, in medio statuit, & cum cæteris regni episco-
pis Eduardum regem consecrauit: eumque quoad vixit, sanè paterno amore comple-
xus est, quippe quem à primis ætatis annis in filium adoptauerat. Vbi igitur ad regni
gubernacula Eduardus rex peruenit, à rege regum Christo opt. max. in viam iustitiæ &
veritatis dirigebatur, & cum esset regia maiestate sublimis, in dies studebat animi humi-
litate fieri submissior. Et vt regni negocia prudenter curaret, noluit in consilium adhi-
bere iuuenes aut minus sapientes: sed eius quæ diximus, sancti pontificis Dunstani mo-
nitis obtemperabat, & ex illius aliorumque religiosorum & spectatæ integritatis viro-
rum consilio, in iudicijs sententiam promebat. Paternis quoquè vestigijs insistens, tam
rebus bellicis quàm Ecclesiasticis negocijs strenuum ac deuotum intendit animum:
hostibus quidem & flagitiosis hominibus seuerum & terribilem: pijs verò, & illis præ-
cipuè, qui essent sacris initiati, quemadmodum à patre didicerat, benignum se præbe-
bat, & ab omni illos infestatione tuebatur. Erat præterea hæc illi quotidiana exercita-
tio, inopes alere, pauperes beneficijs fouere, nudos tegere, in maximis lucris ponere,
quicquid in miseros contulisset. Magna tunc apud Anglos lætitiâ, inconcussa pax &
tranquillitas, multa rerum opulentiâ existerat. Videbant enim regem suum in tenera
adhuc ætate talibus studijs deditum: tum quoquè cunctis affabilem, castitate venera-
bilem, facie iucundum & decorum, consilio & prudentiâ spectatissimum.

Torquebatur interim inuidia coluber tortuosus, totius boni æmulus, eiusque felices

Nouerca il-
li cum alijs
quibusdam
necem pa-
rat.

ces conatus & communia regni totius gaudia interturbare modis omnibus annitebatur. Itaque odio inflammat animū nouercae eius Elfridæ, quæ agrè ferebat Eduardum suo filio Ethelredo antelatum. Conuertitur interim ad callida consilia mulier detestabilis, & tandem quod animo secum diū tractārat, quibusdam suis consiliarijs, & regni primoribus exponit, communicatoque cum illis consilio, orat & obtestatur, vt ipsi faueant, cogitentque viam, qua Eduardum regni sede deturbare, suumque filium Ethelredum in eius locum sufficere possint. Illi verò in Eduardi necem pariter conspirant, eiusque celeriter illi afferendā machinas excogitant. Iam tres annos & menses octo Eduardus regno potitus erat, & eccè die quodā cum canibus & equitibus in syluam, cui villa Vuerham adiacet, venationis causa proficiscitur. Erat id temporis ea sylua benè grandis, tamen hodiè rara tantum spineta & nucum arbores neglecto situ, campis late patentibus, illic visuntur. Cùm autem in ea venatione aliquandiu hæsisset, incescit animum illius cupidō inuisendi fratrem suum Ethelredum. Amabat enim illum sincerè & ex animo. Porrò syluæ illi adiuncta erat domus nouercae eius, vbi Ethelredus educabatur eo in loco, quem incolæ Corph vocant, qui ab ea, quam diximus, villa tribus abest milliarijs, vbi nunc castrum sic satis egregium constructū est. Eò igitur iter intendens Eduardus, paucos sibi comites adhibuit, qui tamen ludendi causa hac illac dispersi, regem solum reliquere. At ille cùm iam eminens domum nouercae cerneret, illic vt agnus mitissimus solus ire perrexit, nihil quicquam sibi metuens, quippe qui neminem se vel minima re lassisse vel offendisse meminisset. Nunciatur interim reginæ illum aduentare. Illa verò plena dolo & iniqua in pijsimum adolefcentem cogitatione, ad complenda animi sui desideria opportunum tempus adeptam se gaudens, obuia mox cum satellitibus & suæ nequitiae ministris, tãquam eius aduentu sibi gratulans, illi procedit, blandè & comiter salutat, inuitat ad hospitium. Illo recusante ingredi, tantumque fratrem se videre & alloqui velle affirmante, regina ad alia se transfert machinamenta, iubet absque mora porum regi offerri. Adfertur potus, rex nihil mali suspicans, admouet ori poculum, & eccè vnus ex reginæ ministris, cæteris ad audendum promptior, & ad scelus patrādum immanior, cùm prius teterrima simulatione regem osculatus esset, quemadmodum Iudas Christum, rege summis labris potum degustante, in illum cruentissimus latro insilijt, cultelloque eius viscera transfixit. Ille tam atroci accepto vulnere, paululum indè deflexit, & mox ex equo, quo sedebat, exanimis corruit. Incidit tam barbarum facinus in annum Christi 981. & quod dictū quoque nefas est, in sacrum Quadragesimæ tempus, nempe diem 15. Calendas Aprilis. Nos quidē piè credimus diuinæ providentiæ mirabili dispensatione id ita accidisse ad maiorem militis sui gloriam, vt qui annuo Quadragesimæ ieiunio carnem suam macerando, aliaque pietatis opera exercendo, pro laudabili more & instituto Christianorum ad sacratissimum Dominicæ resurrectionis diem sese præparabat, bono sine consummatus, cum bonorum operum fructu in caeleste illud palatium à Christo susciperetur. Vbi verò cognouit regina illū de equo cecidisse mortuū, iubet corpus exanime proijci in vicinum domicilium, nè tantum scelus innotesceret. Obtemperant crudeles ministri sceleratæ mulieri, & sacrum corpus per pedes contemptim arreptum, eò, vbi illa iusserat, abijciunt, & vili stramine tegunt.

Rex pius
crudeliter
necatur.

Nocte intē-
pesta lux
impressa ad
corpus S.
Eduardi, &
cæca illu-
minatur.

In illa autē domuncula mulier erat à primo ortu cæca, quam regina alebat. Ea cùm proxima nocte illic apud sacrum corpus sola pernoctaret, ipsa in tempesta nocte impressa lux domicilium illud compleuit, & cæca illa mulier Dominum deprecans, meritis sancti regis lumen diū desideratum obtinuit: in cuius rei memoriam eodem in loco postea à Christianis templum ædificatum est. Illucescente autem die, cùm rem gestam ex scemina didicisset crudelis regina, multum anxia timere cœpit eedem, cuius ipsa author fuerat, pro palatium iri. Mox igitur præcipit tolli sacrum corpus, & in paludes deprimi, nè posset ab vilo vnquam reperiri: nec hoc contenta, palam edicit, nè quis regem extinctum ploret, nec de illo omnino loquatur. Deindè proficiscitur ad quendam suæ ditionis locum, qui decem aberat milliarijs, nè posset in ipsam patrata necis vlla cadere suspicio. Ethelredus autem adeò mœrebat ob crudelem fratris sui cædem, vt neque lachrymas cohibere, neque vllam posset cōsolationem admittere. Id molestè ferebat atrox regina, furore correpta, cùm non haberet ad manus alia, cædelis tandiū verberauit illum, donè eius vlulatum compesceret. Iam annus ferè elapsus erat, & volens præpotens Deus martyrem suum mundo innotescere, & quanti apud ipsum meriti esset, declarare, corpus eius venerabile quibusdam fidelibus, deuotè illud inquirentibus,

Ethelredus
fratris ne-
cem plorat.

reuelare

reuelare dignatus est. Nam eo in loco, vbi in paludem depressum erat, columna ignea caelitus demissa apparuit, & suis radijs omnia circumquaque illustrauit. Viderunt id pij quidam viri in vicina villa, (nam saepe lux illa extitit) & in vnum collecti, transfulerunt sacrum corpus in villam suam. Fit magnus hominum concursus, plangentium obitum pijssimi regis & fidissimi protectoris sui: deportaturque cum multo gemitu venerabile corpus ad templum beatissimae Mariae virginis, & in eius orientali parte officiosissime sepelitur Idibus Februarij: vbi lignea aedificata à viris religiosis aedificata, hodieque cernitur, & fons eo loco, vbi prius iacuerat, dulces & perspicuas iam inde ab illo tempore emanat aquas, diciturque fons S. Eduardi, vbi sanè multa aëgris quotidie præstantur beneficia in laudem & gloriam Christi.

Corpus eius diuinitus indicatur.

Iam verò fama diulgante, per Britanniam regine fraus & impietas propalatur, rex innocens laudibus in cælum tollitur, virtutes & merita eius vbiq; celebrantur. Peruenit etiam ad aures comitis Alferi, sacrum corpus regis caelesti indicio repertum: isque mirifice exhilaratus, & domino suo tanquam adhuc superstiti fidelem cupiens nauare operam, ad locum insigniorem illud transferre decreuit. Itaque episcopos, abbates & regni proceres, quotquot sibi adiungere potuit, hortatur vt in eandem curam vnà secum incumbant. Misit etiam nuncium ad Vuilfredam abbatissam coenobij Vuiltoniensis, orans vt cum virginibus suis tanti regis exequijs nõ desit. In eo autem monasterio erat regis Eduardi soror, virgo admodum venerabilis, multa vitæ & morum integritate polens. Conuenientibus igitur Episcopis, Abbatibus & alijs permultis cum multa veneratione & studio, comes Alferus è Dorseta multos vtriusque sexus homines collegit, & ad eum locum, vbi sancti regis corpus humatum fuerat, cum magna deuotione peruenit. Ibi tum sacrum illud corpus in tantæ multitudinis præsentia detectum, adeò ab omni corruptione repertum est alienum, ac si die illo tumulatum fuisset. Quod vt viderunt episcopi & alij omnes, Deum hymnis & laudibus glorificauerunt, qui sancti martyris innocentiam tam euidenti signo declararet. Porrò soror eius antedicta ad sacrum corpus accurrens, illud stringit amplexibus, religiose exosculatur, largis lachrymarum imbribus rigat faciem, nec satiari potest tanta fratris sui gloria. Accedunt inde viri venerabiles, & cum ingenti cleri populiq; gratulatione illud sanctum corpus ad celeberrimum coenobiũ Sceptoniam deferunt: quod olim diuæ memoriæ Elfredus rex, S. Eduardi atauus, cõdiderat, & pro amore filie suæ Ailene, quam caelesti sponso desponsam, in illud monasterium tradiderat, amplissimis auxerat donis & possessionibus.

Eduardi regis soror sanctimonialis.

Corpus eius incorruptum.

Accurrebant interea permulti sexus vtriusque homines, & in ijs duo pauperes adeò contracti, vt vix manibus & cruribus per terram possent reperi, Deum & S. Eduardum pro incolumitate reddenda exoraturi: cumque feretro propinquassent, & illi, qui sacrum ferebant corpus, eis feretrum imposuissent, confestim cunctis ad spectantibus sanitati sunt restituti. Fit repente clamor populi, S. Eduardi merita prædicatur. Ad reginam quoque perferuntur tam præclara miracula, & illa corde compungitur ob admisum scelus: ascensoque mox equo, veniam petitura, se accingit itineri, quod ducit ad corpus martyris. Ecce autem inter equitadum ita diuinitus retardabatur, vt equus eius retrocedere potius quam progredi videretur, nec vlla ratione efficere possit, vt is procederet. Animaduertens igitur pro suo immani facinore isthuc se perpeti, ab equo descendit, pro maiori reuerentia pedibus suis itura ad corpus sancti martyris: sed tunc quoque sensit se repelli retrò, nec potuit voto potiri suo. Porrò sacrum corpus ad locum destinatum perductum, à virginibus Christi honorifice exceptum, & ad summi altaris partem borealem reuerenter admodum conditum est 12. Calend. Martij: vbi deinceps multa sunt aëgris diuinitus collata beneficia: multa verò etiã miracula scriptorum negligentia non sunt literis annotata, neque nos alia de sancto Christi martyre referre volumus, quam quæ ab alijs bona fide conscripta inuenimus, aut fidelium hominum relatione didicimus. Tandem anno Domini 1001. qui fuit 21. ab eo, quo illic corpus venerabile tumulatum fuit, eleuatum est, incredibili odoris suauitate inde manante, & in locello accuratè preparato repositum, atque cum alijs sanctorum reliquijs in sanctis sanctorum honorifice collocatum. Nam & ipse sanctus rex cuidam in visione præceperat, vt eius coenobij Abbatissa indicaret fratri ipsius regi Ethelredo, vt aliò sancti corpus transferret: & ipse sacri pignoris tumulus quotidie mirabili facilitate à terra eleuabatur, non obscuro utique argumento, sanctum regem sacras reliquias suas alibi velle transponi.

Duo contracti sanati.

Nota diuinitus vltionis.

Corpus sacrum eleuatur.